

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Henr. Ernest. Carol. Laubmeyer


**Praecognita Circvli Sangvinis Apvd Veteres Ante Harveivm : Specimen
Inavgvrale**

Regiomonti: Typis Hartungianis, [1799]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1669943534>

Druck Freier  Zugang





St.

Mb. 3771.a-9

insunt:

a. Bekker, H. C.

b. Douglas, Ludov.


c. Laubmeyer. H. E. C.

d. Hecker, I. Fr. C.

e. Hecker, I. Fr. C.

f. Hecker, I. Fr. C.

g. Hecker. I. Fr. C.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1669943534/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1669943534/phys_0004)

DFG

PRAECOGNITA
CIRCVLIS SANGVINIS
APVD VETERES
ANTE HARVEIVM.

SPECIMEN IN AVGVRALE

quod

Consentiente Facultate Medica

Amplissima

Pro Gradu Doctoris

priuilegiisque huic

adnexis

rite impetrandis

d. I. Octbr. MDCCXCIX.

H. L. Q. S.

folenniter defendet

Auctor

Henr. Ernest. Carol. Laubmeyer

Regiomont.- Borussus.

Regiomonti

Typis Hartungianis,

116-3771. C.

Contra

hanc Dissertationem

Argumenta opponent


Christophor. Ioann. Heinr. Elsner

et *Cato Cato*

Carol. Guilielm. Georg. Reusch

Med. Candidati.





§. 1.

Circulum sanguinis i. e. laticis in corpore nostro vitalis exitum e corde, iter per arterias, transitum ex arteriis in venas, reditumque ex his in cor inter indubias Physiologiae theses reposuerunt omnes sere a centum his et quinquaginta forte annis, perspicaciores Medici. Neque minus apud omnes recepta sententia est, GVLIELMO HARVEIO, Anglo, inuenti huius gloriam maxima pro parte tribuendam esse. Postquam scilicet per tot saecula Medicos latuerat hoc vitae animalis phaenomenon, experimentis numerosis conuictus atque consitus Vir alias modestissimus illud Anno 1619 primum in praelectiōnibus auditores suos docuit, anno autem 1628 demum timide satis in tractatu Francofurti 1628 impresso eruditis oculos posuit a). Vix autem credibile, quam acribus pertinacibusque controuersiis tunc temporis locum dederit doctrina, quae nunc omnis sanioris

A 2

Physi-

Physiologiae fundamentum est. Primus scilicet contra HARVEIVM classicum cecinit IACOBVS PRIMIROSIVS, ipsius conterraneus b) qui multa eaque satis speciosa contra nouum inventum argumenta in medium protulit. Eum imitatus est AEMILIUS PARISANVS c), Philosopherum qui se nuncupat Romanum Medicumque Venetum. Ille diffusa oratione confutare annis est, quae HARVEIVS experimentis rationibusque ex his proxime deductis stabiluerat. Alto vero supercilie nouum invenitum spreuit CASPAR. HOFFMANNVS inter eius aeui eruditos haud ultimo stans loco; atque quidem tanta ei fuit contra nouam doctrinam animi pertinacia, ut recusauerit ab ipso HARVEIO per autopliam de veritate rei convinci d). Acrem porro aduersarium nactus est HARVEIVS, IOANLEM RIOLANVM Professorem Parisinum, Virum suae gloriolae studiosissimum, aliorum inuenta facile depresso, quique (affirmante G. PATINO) mallet *amicum perdere quam verbum.* Nouam ille circulationem docuit e), ne HARVEIANAE fides adhiberetur, ita tamen contradictorie concinnatam, ut attentione dignam vix iudicarent coaeui. PETRVS etiam GASSENDVS magni alias nominis Philosophus noui inuenti aduersariis socium se addere haud dubitauit f). Alii vero quoque contra HARVEIVM insurrexerunt obscuriores viri, qui nominibus suis aliquam hoc certamine famam conciliare stu-
due-

duerunt, quosque citare eo magis supersedeo, cum omnis controvrsiae de circulo sanguinis nouiter inuento historiam doctam atque plenam nobis exhibeat Cel. SPRENGEL^{g)}. Quid, quod nuper etiam LA CAZE, BORDEU, ROBERTVS, ROSA h) circuli sanguinis cognitionem et in oeconomia humana dignitatem argumentis speciosis deprimere aut parui facere anni sunt, irrito tamen conatu.

- a) Mirum visum est multis, primam hanc operis immortalis editionem Francofurti prodidisse. Id forte ideo factum est, quod opus, Medicis plurimis odio futurum, publici iuris facere dubitauerint Bibliopolae Angli sive Belgae. Eam etiam editionem vitiosam et imperfectam dicit HALLERV (in Boerh. *Meth. stud. Med.* p. 314) quae Leidae 1639 et alibi cum refutationibus AEM. PARISANI et IAC. PRIMIROSHI iterum prodiit; posthac nonis exercitationibus aucta.
- b) Vid. Editio libri Harueiani modo citata.
- c) Vid. Not. a.
- d) Vir ceterum doctissimus non in uno scriptorum suorum loco contra nouum inuentum inuenitur. Vid. inter alia (*Apolog. pro GALENO L. II. Sect. IV. C. 48, et digressio ad circulationem sanguinis* Parisiis 1647.) Sanguinem non moueri, ut aquam in fluvio, sed fluctibus excitari, ut mare, voluit.
- e) Vid. *Eius Opuscula anatomica noua* Londini 1649. Ioannis filius erat, in eadem olim schola Professoris.
- f) Vid. *Eius de septo cordis peruvio Observatio* in PINAEI et aliorum opusculis Leid. 1641. p. 261.,

261., et in tractatu de nutrit. anim. (Opp. Omn.)
Tom. VI. p. 204.

g) In Verf. einer pragmat. Gesch. d. AK.. Tom.
IV. p. 3. sqq.

h) LA CAZE, homo paradoxus in physiologia sua
(*Idée de l'homme physique etc.*) circulationis
sanguinis nullam rationem habet. Eiusdem
farinae homo THEOPH. BORDEV nimii fieri circu-
lationem repetit in scriptis suis. Neque ab his
abludens ROBERT, itidem Gallus, contra ana-
tomem et sanguinis circulum simul verba facit
(in *Traité des principaux objets de la médecine*) ROSA tandem Italus vaporem illum s. spi-
ritum expansilem animalem Veterum iterum
in arterias reuocat (*Lettere fisiologiche* Neap.
1788.

§. 2.

Habuit vero etiam nobile inuentum suos
defensores, qui ab HARVEI partibus starent.
Horum inter praecipuos omnino numeran-
dus est primo WERNERVUS ROLFINCK, celebris
in inclyta schola Ienensi Professor a); deinde
HERMANNVS CONRINGIVS b) Professor Helmsta-
diensis; PAVLVS etiam MARCARD SLEGEL c)
Professor itidem Ienensis; nec non GEORGIVS
ENTIVS d) Medicus Londinensis. Ex celebri-
oribus porro eius aeui Viris RENATVS CARTE-
SIVS, noui ea tempestate systematis philo-
sophici Autor, circuitum HARVEIANVM ex
primis recepit et contra BEVEROVICIVM Medi-
cum Louaniensem eius oforem longa epistola
tuitus

tuitus est e). Porro vero huc collocandus est IOANNES WALAEVS celebris Professor Leiden-
sis, qui ad HARVEI exemplum, non ratioci-
niis meris, sed experimentis idoneis nouum
inuentum stabiluit, proque eo masculine pu-
gnauit f). Liceat denique THOMAM BARTH-
OLINV M hic nominare, Virum in anatomes et
physiologiae emolumenta natum, cuius au-
toritas multum contulisse videtur, vt ab om-
nibus paulatim eruditis sanguinis circulo no-
viter inuento adsensus tribueretur g). Factum
etiam est, vt qui initio nouam doctrinam re-
pudiauerant, eam mutata sententia admitte-
rent experimentisque confirmarent; id quod
inter alios accidit VORISCO FORTVNATO PLEM-
PIO, Doctori Louaniensi h). Quin imo ipse
CASPARVS HOFFMANNVS ante vltima sua fata in-
ter veterem nouamque doctrinam dubius
haesisse dicitur i). Atque sic Illustris HARVE-
IUS, qui experimentorum argumentorumque
suorum robore fretus, nulli aduersariorum
suorum, praeter RIOLANVM l, quicquam scri-
ptis reposuerat, senex iam inuenti sui digni-
tatem ab omnibus dubiis vindicatam, fere in
vniuersum receptam vidit. Afferta igitur est
a Viro immortali etiam circulatio maior, mi-
noriam a centum antea fere annis cognita
et a doctis Viris, REALDO COLVMO, MICHA-
ELE SERVETO, IOANNE VALVERDA atque AN-
DREA CAESALPINO ita dilucide proposita, vt
mirum sit, ad HARVEIVM vsque latuisse maio-

A 4

rem

rem, imo tam aegre ab eruditis acceptam fuisse. Sed de horum Virorum meritis nunc pauca haec, ne praeposterus sim, dicta sunt; infra vero pluribus nobis memorandi erunt.

- a) Vid. Eius *Dissert. Anatom. binae de hepate etc. et de corde etc.* Ienae 1653 et 1654 habitae, in Coll. Dissertatt.
- b) Vid. Eius *Dissert. VIII. de sanguinis circulatione et motu naturali* Helmstad. 1643.
- c) Vid. Eius *de sanguinis motu commentarius in quo praecipue in I. RIOLANI sententiam inquiritur*. Hamburg. 1650.
- d) Magnus hic causae HARVEIANAE defensor edidit *Apologiam pro circulatione sanguinis, qua respondetur AEMILIO PARISANO.* Lond. 1685.
- e) Vid. *Quæstiones epistolicae BEVEROVICHI Roterdam. 1644.* inter quas epistola est CARTESII. Misericordia tamen nouae doctrinae non satis apte scorias ex theoria sua de ebullitione s. fermentatione aliqua sanguinis motus eius causa, quas eluit HARVEIVS in responsione sua ad RIOLANVM.
- f) In Epistolis binis *de motu Chyli et sanguinis* ad TH. BARTHOLINVM ad calcem anatomes TH. BARTHOLINI; eatenus tamen iniquus est WALAEVS in HARVEIVM, quod (p. m. 774.) circulationem inuentum esse PAVLI SERVITAE contendat, a quo demum edocitus HARVEIVS nouam doctrinam, magis etiam confirmatam diuulgauerit.
- g) Vid. Eius *anatomia ad circulationem Harveianam et vasorum lymphaticarum quartum renouata.* Lugd. Bat. 1673.
- h) Contra HARVEIVM scriperat in priori *fundamentorum*

torum medicinae editione Louan. 1638. In posteriori nouum inuentum admisit; ibid. 1644.

i) Autor est SLEGELIVS. Vid. lib. cit. Not. c.

l) In secunda et tertia *Exercitatione* sua ad RIOLANVM. Roterod. 1649.

§. 3.

Neque tamen nunc quieuit in HARVEI gloriam inuidia. Cum enim contra inuenti ipsius veritatem atque dignitatem nil quicquam amplius proferendum superesset, surrexerunt, qui siue veteribus ante HARVEIVM, siue coaequo alicui mallent tribuere circuli sanguinis siue cognitionem siue inuentionem, quam vero Inuentori. Atque quidem primo facete magis quam docte SALOMONI circuli sanguinis notionem tribuerunt nonnulli ex loco in *Ecclesiaste* a) poeticam magis senectutis, quam motus sanguinis circulatorii delineationem exhibente. Docte vero magis quam vere diuo PLATONI IANSONVS ab ALMELOVEEN b) atque LAVR. HEISTERVS c). Docte porro quidem, at ex supposito frustra alieno vocibus sensu HIPPOCRATI ANTONIDES VAN DER LINDEN d) celebris olim Professor Leidenfis literarum graecarum peritissimus et praeter alios PHIL. IAC. HARTMANN e) Academiae nostrae olim insigne decus. Alii f) porro circuli sanguinis inuenti gloriam tribuere maluerunt PAVLO SARPI SERVITAE, quem nouerant

A 5

amicum

amicum suisse FABRICI AB AQVAPENDENTE pri-
mi valvularum venosarum inuentoris. Alii
et ineptissime quidem IACOBO RVFF Chirurgo
Tigurino, qui certe vix ultra vulgus collega-
rum suorum sapuit. HELFRICO DITERICO tan-
dem (plures enim citare supersedeo ne Le-
ctori taedium moueam) praeter alios SCHROE-
CKHIVS g). Inquirendi autem in varias has
autorum aberrationes earumque fontes, nul-
lus hic locus est; quem etiam laborem ex-
hausit post Ill. HALLERVVM h) Cel. SPRENGEL i).
Satis igitur fuerit, eorum errores, qui HIP-
POCRATI circulum sanguinis notum perhibue-
runt, HALLERI verbis refutasse, quando "Legi
"ea loca, inquit, quae exitantur, miraturus
"equidem, si in ea anatomes infantia senex
"optimus eum circuitum cognitum habuisset,
"quem certum est GALENVM ex tot experimen-
"tis anatomicis, ad motum sanguinis impre-
"mis facientibus, doctorem certo latuisse.
"Ergo reperio, HIPPOCRATEM nullum in cor-
"pore principium admittere, quod non vna
"finis sit. Sed ex continuata lectione adap-
"ret, morborum, qui in humoribus corporis
"humani sedem habent, ab aliqua parte cor-
"poris in omnes alias migrationem intelligi."
Atque sic certe etiam intelligendus HIPPOCRA-
TIS locus, quem laudatus HARTMANNVS l) ad
comprobandam suam hypothesin affert, ita
sonans: "Communicant autem omnes venae
"et transfluent in se ipsas et aliae quidem sibi
"ipfis

■

"ipſis per ſe committuntur, aliae vero per ve-
nulas minores a venis maioribus extentas,
quae nutriunt carnes, eaque parte transflu-
unt in ſe ipſas. Et quicunque morbus a ve-
nis oritur, leuior eſt, quam qui a neruis;
transfluſit enim vna cum humore, qui in ve-
nis eſt, et non quiescit." Quem tamen lo-
cum manifestiſſime de circulatione intelligen-
dum eſſe, contendit Vir doctiſſimus.

- a) Cap. XII. v. 2-6.
- b) Vid. eius *Inuenta nouantiqua* Amſtel. 1684. Lo-
cūſ, qāem ex TIMAEO citat, de alterna ſpiritus
eruptione et irruptione dicit, de circulatione
vix intelligendus.
- c) In *Difſeritat. an fanguinis cirkulus veteribus*
fuerit cognitus, Helmſt. 1721. Habet ex TR-
MAEO iterum locum; quo fanguinem velociter
a corde per totum corpus circumpellī ſcripſit
Philofopuſ. Sed ad cor redire non afferit.
- d) Viginti et feptem *Exercitationibus de circula-*
tione fanguinis, Leid. 1659—63. diuō medici-
nae parenti circuitus fanguinis notitiam vindic-
are annifus eſt Vir eruditissimus.
- e) Vid. *Disquisitiones historicae de re anatomica*
Veterum. Regiomonti 1693. et ſpeciatim *de*
peritiā Veterum anatomica in ſpecie Exercit.
Illa Cap. X. p. 61. ſqq.
- f) e. g. WALAEVS vid. not. f. §. 2. Ea fabula etiam
ab aliis veritatis amictu ornata eſt, ſed refutata
a GEORGIO ENTIO lib. cit. §. 2. Not. d. vid. etiam
HALLERI *Elem. Phys.* Tom. I. p. 245.
- g) *Allgem. Weltgeſch.* Tom. III. p. 385. eum An-
no

no 1622. vel 1624. cum CASPARO HOFFMANNO de circulatione egiisse scriptum quidem est, sed nunquam euictum. At et alii fuerunt, qui noble inuentum sibi tribuerent; e. g. THOM. HARRIOT, HONORATVS FABRI Monachus, PETRVS LAVREMBERGIVS etc. De quibus vid. HALLERVM Lib. cit. p. 246.

h) *Lib. mox cit. §. XXIV. et sqq.*

i) *loc. cit. §. I. not. g.*

j) *loc. cit. not. e. §. VII.*

§. 4.

At in GALENI scriptis inque aliis libris Veterum ante HARVEIVM loca certe inuenies, quae multo etiam manifestius de circulo sanguinis possis interpretari, supposita scilicet inuenti cognitione ante inuentum. *Praecognita circuli sanguinis iis contineri rite dixeris*, de quibus mireris, doctorum ingenii per tot saecula inhaesisse, eruendam vero ex ipsis veritatem tam diu latuisse. Horum nonnulla excerpere lectoribusque ob oculos ponere animo nunc constitui. Incipiamus autem a CLAUDIO GALENO, cuius scripta physiologica scrutatus saepe miratus sum, ex tot praecognitis, imo, vt alias praeferat ERASTRATVM refutaret, institutis experimentis, aditum tamen ad circulationis cognitionem ei datum haud fuisse. Pertinet huc primo locus PERGAMENTI a), in quo ventriculum cordis sinistrum sanguine plenum esse, diserte docet: "Qua

"Qua igitur, inquit, de causa haec protuli?
 "Vt ostenderem, cor sanguine tunc plenum
 "esse in vtrisque ventriculis. Vnde hoc co-
 "gnoscere datur? Si saucies ipsum, statim ef-
 "funditur sanguis. Oportebat autem iuxta
 "CHRYSIPPI sententiam, aut spiritum prius eu-
 "cuari apparere atque ita sanguinem sequi:
 "aut omnino non sequi, quemadmodum ne-
 "que in ventriculis cerebri sequitur." Post-
 quam deinde ostendit, in mortuo animali
 ventriculum sinistrum sanguinem grumosum
 continere, qui cerebri ventriculis non insit,
 ita pergit: "Redeo rursus ad animalia viuen-
 "tia, ostendamque Tibi, denudato corde non
 "solum si scalpellum immissum sit in sinistrum
 "ventriculum, sanguinem profundi, sed eti-
 "am si stilus aut acus aut aliud quid huius mo-
 "di: quanquam si necessarium id esset, opor-
 "tebat prius euacuari spiritum, quo sanguis
 "sequeretur. Nam foraminis angustia ad tem-
 "poris longitudinem non parum contulerit.
 "Sed non ita se habet res ipsa. Statim enim
 "ad factum vulnus sequitur sanguis, adeo ut
 "neque, si valde festines in sauciando, instru-
 "mentum, quo vulnus effeceris, educere
 "possis incruentum. Ex quo clarum est, si
 "nistrum ventriculum sanguine esse plenum."
 Ex quo certe experimento poterat GALENO,
 nisi mente occupatus fuisse, circulationis
 sanguinis suspicio nasci.

a) Vid.

a) Vid. de **HIPPONATIS** et **PLATONIS dogmatibus**,
 Lib. I. Cap. I. Edit. **GESNERI** Tom. I. p. 881. 82.
 Dolendum capitis primi initium deesse, quae
 enim statim occurunt verba historiam pueri
 absoluunt, qui corde denudato tamen seruatus
 est, qualem etiam casum narrat **HARVEIVS** (*Exer-*
cit. de gener. anim. Lib. I. p. 156.)

§. 5.

Non mihi memorabilis mihi vi-
 detur alias **PERGAMENI** locus a), in quo de
 ventriculo cordis dextro eiusque cum pulmo-
 nibus nexus tam adaequatam videtur habuisse
 notitiam, ut iterum mireris, ad circulationis
 latrem minoris cognitionem haud peruenisse
 Virum acuti alias sane ingenii: "Numerus
 itaque, sic loquitur, cordis ventriculorum
 in omnibus animalibus haud quaquam est
 idem: sed quae aërem inspirant per pharyn-
 ga, per nares et os, protinus quidem his
 quoque est pulmo et cordis dexter ventricu-
 lus: reliquis vero omnibus neque pulmo est,
 neque ad dextram cordis partem vlla latitu-
 do. Duo enim haec necessario cum pulmo-
 ne interéunt, animalis vox et cordis dexter
 ventriculus. Ex quo intelligi potest, quan-
 tam ipsorum vtrumque utilitatem adferat.
 Nam dexter ventriculus gratia pulmonis est
 factus: pulmo vero ipse respirationis simul
 et vocis est instrumentum."

Perti-

Pertinet porro hoc fere totus, qui contra ERASISTRATVM eiusque sectatores scriptus est liber b), in quo de sanguine natura in arteriis contento, de anastomosibus inter vtrumque vasorum genus, deque causis dilatationis arteriarum fuse et acriter disputat GALENV. Multa hic exscribenda essent loca (nisi paginae et tempori parcendum esset) in quibus sanguinem non aliunde in arterias inuehi, sed ex natura inesse, anastomosibus communicare arterias cum venis, arteriasque cordis vi dilatari docet. Bina autem hic experimenta enarrata se instituta, quae praecipue ad prae-cognita circuli sanguinis referenda mihi videntur. Eorum prius breuiter sic narrat: "Vbi funiculo nudatam arteriam vtrinque ligauimus et quod in medio comprehensum fuerat, incidimus, sanguine plenam ipsam esse monstrauimus." c) Alterum vero celebre illud experimentum est, de quo plurimum disceptatum fuit inter circulationis noviter inuentae defensores atque aduersarios. Id sic describit PERGAMENVS. d) "Arteriam vnam e magnis et conspicuis quampliam nudabis, primoque pelle remota ipsam ab adiacente suppositoque corpore tamdiu separare non graueris, quoad funiculum circumdare valeas: deinde secundum longitudinem arteriam incide calamumque et concavum et perium in foramen intrude, vel aeneam aliquam fistulam, quo et vulnus obturatur"

"retur et sanguis exsilire non possit. Quoad-
"vsque sic se arteriam habere conspicies, ip-
"sam totam pulsare videbis. Cum primum
"vero obductum laqueum contrahens, arte-
"riae tunicas calamo obstrinxeris, non am-
"plius arteriam vltra laqueum palpitare vide-
"bis; etiamsi spiritus et sanguis ad arteriam,
"quae est vltra laqueum, sicuti prius faciebat,
"per concavitatem calami feratur. Quodsi
"propterea pulsarent arteriae, pulsarent etiam
"tum partes, quae sunt vltra laqueum. Sed
"non pulsant. Igitur perspicuum est, quo-
"niam moueri posse desinunt, non per spiri-
"tum in concavitatibus discurrentem, sed ob
"virtutem in tunicas transmissam, arterias a
"corde moueri."

a) *De usu partium Cis hi Lib. 27. Cap. IX.* p. 563.

b) *An sanguis in arteriis natura continetur,*
p. 214. et fqq.

c) Cap. VII. p. 221.

d) Cap. X. p. 224.

§. 6.

Ergo licet praecognitam haberet GALE-
NVS ventriculi cordis sinistri cauitatem sanguine-
ne plenam, ventriculi dextri cum pulmoni-
bus nexum, contentum in arteriis sanguinem,
pulsus a corde originem, arteriarumque cum
venis anastomoses a), male tamen scopum na-
turae

turae in construendis binis vasorum sanguineorum generibus (quem in communicatione spirituum ex arteriis in venas et sanguinis ex venis in arterias posuit) affecitus est, neque vel leuem circuli sanguinis HARVEIANI suspicitionem habuisse videtur. Igitur praecipitanter nimis conclusse videtur Ph. I. HARTMANNVS b), quando, "Cum Veteres, inquit, quoque arteriarum cum venis anastomoses habuerint cognitas, necessarium est, ut iidem cognouerint etiam ordinatum, ac ex una corporis parte in aliam successiue transeuntem, ac ad partem, vnde transmissus erat, redeuntem sanguinis motum, uno verbo, circuitum s. circulationem: quandoquidem necesse sit, ut arteriae per anastomoses venis insertae, in illas aliquid transfundant, venae autem excipiiant atque ad cauam reducant; hoc itaque transsum, a corde per arterias egressum, per venas autem ad cor regressum, circulum absoluere." Sic etiam falli se paſſus est Vir doctissimus c), quando de errore GALENUM arguit, qui "non ab arteriis in venas, sed a venis in arterias sanguinem velit transsumi, adeoque inuersum circulum faciat." Contradicit enim huic assertioni locus GALENI d), quo diserte orificiorum arteriarum ad venas apertiones memorat. Dabimus tamen HARTMANNO, non vbiique sibi confidare PERGAMENVM eumque facile in aliis aliisque scriptorum suorum locis sibi contradicentem inteniri. Ne-

B

que

que diffitendum est, ex odio forte potius in ERASISTRATVM, quam ex veritatis amore factum esse, vt eius sententiae de inflammatione ex sanguinis a venis in arterias per anastomoses transitu irriteret GALENVS.

- a) Eas anastomoses etiam ERASISTRATO eiusque sectatoribus cognitas fuisse conflat, inter alia loca ex GALENO *de usu partium*, Cap. XVII. p. 580.) Non autem nisi praeter naturam ex venis in arterias sanguinem redundare docuerunt, quam doctrinam, an bene an male? irriteret GALENVS (l. c.)
- b) *Lib. cit.* §. XII. p. 65.
- c) *Ibid.* §. XIII. p. 66.
- d) *De usu partium*, p. 580.

§. 7.

Sufficient haec de GALENO, vltra quem cum vix sapuerint et Graeci posterioris aeui et Arabes et Arabistae, apertum est, rarius nunc obuenire apud autores ad renatas literas vsque praecognita ad circulum sanguinis aliquomodo referenda. Interim ne maius duodecim saeculorum spatium uno saltu transeamus, sistat gradum nostrum aliquantis per NEMESIVS Episcopus Emesenus, quem nonnulli a) perhibuerunt circuli sanguinis notio nem habuisse. Licet autem hanc sententiam explodant HALLERVIS b) et FREINDIVS c), ipse scrutari textum constitui graecum, an forte **vocula**

vocula quaedam ad praecognita saltem circu-
li sanguinis pertinere videri posset. En autem
totius capit is de pulsibus (in quo inuenisse sibi
viri sunt viri laudati circuli sanguinis notitiam)
versionem, a me, sub auspiciis Excellentissimi
nostri HASSE, sepositis aliis versionibus elabo-
ratam: "Ac pulsuum quidem motus vocatur
etiam vis vitalis. Habens vero originem cor
ac sinistrum eius maxime ventriculum, qui
spirabilis appellatur, insitum ac vitalem calo-
rem distribuit in omnes partes corporis per
arterias, sicut iecur per venas alimentum.
Calefacto igitur praeter naturam corde, sta-
tim etiam totum animal calefit, et refrige-
rato refrigeratur. Nam vitalis spiritus ab illo
(corde) per arterias in omne corpus dissemi-
natur. Vna autem diffinduntur quam maxi-
me haec tria: vena, arteria, neruus, ex tri-
bus principiis quae animal gubernant; ex
cerebro quidem, quod principium et mouen-
di et sentiendi est, neruus; ex iecore, quod
principium est sanguinis et alendi facultatis
vena vas sanguinis; ex corde vero, quod
principium est viuendi facultatis arteria, vas
spiritus. Quae coniuncta inter se mutuis
utilitatibus perfruuntur. Ac vena quidem
alimentum praebet neruo et arteriae; arteria
autem communicat cum vena calorem natu-
ralem et spiritum vitalem. Vnde neque ar-
teriam licet reperire sine tenui sanguine, ne-
que venam sine spiritu, qui vaporem habet.

B 2

"Dis-

"Distrahitur autem valde et contrahitur arteria ad concentum quendam (harmoniam) et rationem, originem ducens motus a corde. Cum quidem distrahitur ex adiectis venis, trahit vi quadam tenuem sanguinem, qui si adspiretur, alimentum praebet spiritui vitali; cum autem contrahitur, fumosum quod in se habet, euacuat per omne corpus et obscuros poros; quemadmodum per os atque narres cor quicquid vaporis (f. fumi) habet, respirationibus sursum trudit." Quae autem verba qui attente legerit, fallor ni mecum consentiat, NEMESIO haud potiori iure ac HIPPOCRATI aut GALENO circulationis notitiam tribui posse. Quae enim docet Episcopus, fere eadem sunt immutata, quae quinque sive sex saeculis ante eum iam docuerat Philosophus M. TULLIUS CICERO d) a Philosophis Graecis, qui iam ante HIPPOCRATEM vixerant, sine dubio edocutus. e)

a) Quarti saeculi Autor est NEMESIVS, cuius libellus *de natura hominis* prodiit graece et latine, Antwerp. 1505. et Oxonii 1676. Vlss som priori editione. Primus, qui NEMESIO auderet tribuere circuli sanguinis notitiam, Editor fuit Oxoniensis; quem praeter alios secutus est BERGERVS (*de nat. hom.* Cap. V. p. 55.) qui etiam PAVLVM SERVITAM et ANDREAM CAESALPINVM excitat, quibus notus fuerit sanguinis circulus.

b) *Elem. Phys.* Tom. I. p. 243.

c) *Histoire de la Médecine*, Part. I. p. 122. lqq.

d) Vid.

- d) Vid. *de Natura Deorum*, Cap. LV.
 e) Vid. Cl. HARLES, *Versuch einer Geschichte der Physiologie des Bluts im Alterthum* (in SPRENGEL Beyträge zur Geschichte der Med. I. 3.)

§. 8.

Maiori autem iure ad praecognita circuli sanguinis referri possent, quae de signis haemorrhagiae ex arteriis aut ex venis proposuit GVIDO DE CAVLIACO a) Vir sagacissimus, ultra faeculi sui genium sapiens, licet aeiui sui naevos non paucos etiam fronte gerat: 'Le signe' (verba sunt interpretis Cli. Ioubert) de la 'veine et artére blesées est flux de sang; mais 'quand il sort en sautant et avec impétuosité 'et pulsation et est subtil et rouge, il signifie, 'qu'il vient de l'artére. Et s'il sort posément 'et est grossier, déclinant, a quelque noirceur 'rougeâtre, signifie, qu'il provient de la 'veine.' Igitur et sanguinis per arterias fluentis prae venosi fluxu velocitatem et saltum alternum et sanguinis arteriosi a venoso differentiam, licet ex circuli sanguinis vera cognitione haec omnia demum explicanda sint, optime obseruauit Vir expertissimus.

- a) Vid. Eius *Chirurgia magna*, Tract. III. Doctr. I. Cap. 3. Male hunc Autorem in elegantiorem dictionem conuertit TAGAVLTIVS (in Collect. GESNERI, Tiguri 1555.) Vfus sum versione gallica Cli IOUBERT cum proxime ad manus esset.

B 3

§. 9.

§. 9.

Accedimus nunc quidem ad feliciora tempora renatarum literarum et praesertim Anatomiae restauratae sub seculi decimi et sexti initium, dolentes tamen, haud pari passu cum corporis humani anatomie profecisse physiogiam, circulique sanguinis vix aliqua praecognita adhucdum apud Autores inueniri. Nominandus hic primo venit Vir Summus ANDREAS VESALIUS, inter anatomiae restauratores forte princeps nuncupandus. Ille, licet quauis fere operum suorum linea GALENI errores perstringat, in delineandis tamen cordis, arteriarum venarumque officiis eiusdem doctrinam sequitur. Venam scilicet sic definit a), quod fit "Pars instrumentaria, teres, fistulaeque instar cauata: et sanguinem, corporis partes enutriturum, vna cum naturali spiritu, insig- niter (si quis modo sit) caliginoso deferens." Arteriam vero "vas b) esse dicit, similiter ut vena membranum, teres, ac fistulae modo cauum, quo vitalis spiritus et impetu ruens calidusque sanguis per vniuersum corpus diffunduntur: quorum beneficio, accidente arteriae ipsius motu (qui dilatatione et contractione fit) naturalis singularum partium calor, vitalisque spiritus refocillantur." Alio tamen loco, Vir sagacissimus inque rerum naturam summe attenus, memorabilia haec verba profert c): "In cordis itaque constructionis ratione, ipsiusque patri-

"partium vnu recensendis, magna ex parte GA-
 "LENI dogmatibus sermonem accommodauit:
 "non fane, quod vndique haec veritati confona
 "existimem, verum quod in nouo passim par-
 "tium vnu officioque referendo *adhuc mihi*
 "diffidam, neque ita pridem de medicorum
 "principis GALENI sententia vel latum vnguem
 "hic declinare ausus fuerim. Haud enim leui-
 "ter studiosis expendendum est ventriculorum
 "cordis interstitium aut septum, ipsumue fini-
 "stri ventriculi dextrum latus, quod aequa cras-
 "sum compactumque ac densum est, atque re-
 "liqua cordis pars, sinistrum ventriculum com-
 "plexens. Adeo vt ignorem (quicquid etiam
 "de foueis hac in sede commenter et venae
 "portae ex ventriculo et intestinis suctionis non
 "sim immemor) qui per septi illius substantiam
 "ex dextro ventriculo in sinistrum, vel mini-
 "mum quid sanguinis assumi possit: praecipue
 "cum tam patentibus orificiis vasā cordis in fuo-
 "rum ventriculorum amplitudinem dehiscant: vt
 "modo taceam verum venae cauae ex corde
 "progressum. Atque cum haec animo obuer-
 "santur, simul sepe multa in arteriarum serie
 "offerunt, de quibus non immerito venit am-
 "bigendum: nimirum nullani fere venam abs-
 "que comite arteria ventriculum ac intestina
 "liensemque adeo ipsum petere et fere totam
 "portae venam sua serie comitem sibi arteriam
 "adsciscere. Deinde renibus arteriae tam gran-
 "des communicantur, vt neutiquam ad illo-

B 4

"rum

"num calorem duntaxat temperandum, eas pro-
 "ductas esse queamus affirmare: vt minus ad-
 "huc solius caloris natiui gratia tantas arterias
 "ventriculo, intestinis lienique insertas esse, pos-
 "simus afferere. His accedit, quod per venas
 "arteriasque mutuos materierum fluxus et
 "refluxus esse, ac nihil prorsus grauitatem et
 "pondus materierum in venis arteriisque agere,
 "plurimis argumentis oporteat fateri. Cordis
 "insuper membranulae (valuulae) et si dicto iam
 "prius vslui fere subseruant, non tamen omnem
 "materierum regressum occupant. Quod vero
 "aures, corde in viuorum sectionibus per trans-
 "versum dissecto et cordis motu prorsus quies-
 "cente, adhuc moueantur et palpitant, quod-
 "que in foetibus et nuper natis tam grandes oc-
 "currunt, cui non constare debet *maioris ali-*
 "cuius *beneficii* occasione, quam vasorum ro-
 "boris gratia, eas efformari? Atque ita quoque
 "longe alia (ne quid de orificii venalis arteriae
 "ad magnae arteriae orificium collati amplitu-
 "dine insinuem) partium dextrum ventriculum
 "et sinistrum constituentium discriminis in cras-
 "sitie est ratio, quam materierum in ventriculis
 "afferuatarum. Quin imo alia haud pauca
 "vndique hic sese proponunt, quae vulgata
 "Anatomicorum placita in dubium vocant." Exscripti consulto integrum hunc sermonem,
 vt pateat, quam grauia argumentisque idoneis
 innixa dubia contra doctrinam Galenicam ubi-
 que receptam fuerint sedulo huic et attento na-
 turae

turae scrutatori. At circuli tamen sanguinis coniecturam haud assecutus est; licet Ill. HALERO contradicere non ausim, quando; "VESALIUS, inquit, de vera circulatione non obscuras cogitationes aluit, sanguinem nempe, certe sub quibusdam conditionibus ex ramis venarum in truncos venire." d) Locum autem qui hoc VESALII assertum exhibeat, inuenire haud mihi datum est. Caeterum celebre illud GALENI experimentum etiam instituisse videtur VESALIUS, vt doceret, pulsandi vim non inesse arteriae sed a corde pendere. e)

- a) *Vid. de Corporis humani fabrica, Lib. III. Cap. I. Operum Omn. Tom. I. p. 304.*
- b) *Lib. cit. Cap. II. p. 306.*
- c) *Vid. Lib. VI. Cap. XV. p. 519. 520.*
- d) *In BOERH. Meth. stud. med. p. 313.*
- e) *De c. h. fabrica, Lib. VII. Cap. XIX. p. 569.*

§. 10.

Frequentius tamen cum nunc paulatim animalium incisionibus vacarent Anatomici, et GALENI autoritas vacillare inciperet, nata etiam sunt in multorum animis dubia de doctrinae Galenicae indubitate hactenus veritate. Sic IVL. CAES. ARANTIUS a) fatis liquide quidem perspexisse videtur, sanguinis ex dextro ventriculo in sinistrum transudationem per poros, quos natura denegauerit, vix statui posse; fine

B 5

quo

quo tamen corruebat in totum Veterum doctrina; religioni tamen hucusque duxit, in totum recedere a receptis dogmatibus. Audacior e contra fuit REALDVS COLVMBVS b), Praeceptoris VESALII forte dubiis motus. Primus ille, quod credo, circulationem sanguinis minorem per pulmones, imo sanguinis iter per cordis cavitates et vasa maiora vere et diserte docuit his verbis: "Atque hactenus de harum "(partium) vſu iuxta aliorum anatomicorum sententiam. Ego vero oppositum proſus ſentio: hanc ſcilicet arteriam venalem (venam ſcil. pulmonalem) factam eſſe, vt ſanguinem cum aëre a pulmonibus mixtum afferat ad ſinistrum cordis ventriculum. Quod tam verum eſt, quam quod veriſſimum. Nam non modo ſi cadauera inſpicis, ſed ſi viua etiam animalia, hanc arteriam (venam) in omnibus ſanguine refertam inuenies: Quod nullo pacto eueniret, ſi ob aërem duntaxat et vapores constructa foret." Postquam deinceps perfrinxit, qui auderent affirmare GALENV M *Eangelistae* more fuscipiendum eſſe, valuulas deſcribit, quae ad quatuor vasorum maiorum orificia poſita ſunt, horumque officia ſic deſcrita: "Duo ex his constructa ſunt, vt intro ad cor deferant; hoc autem euenit, dum cor dilatatur: duo vero alia, vt, dum cor constringitur, foras deferant. Idcirco, quando dilatatur, ſanguinem a caua vena in dextrum ventriculum fuscipit; nec non ab arteria venosa.

"nosa sanguinem paratum, vt diximus, vna
 "cum aëre in sinistrum: propterea membranae
 "illae demittuntur, ingressuique cedunt: nam
 "dum cor coarctatur, hae clauduntur: ne quod
 "suscepere, per easdem vias retrocedat eodem-
 "que tempore membranae tum magna arteria,
 "tum venae arteriosae recluduntur adi-
 "tumque praebent spirituoso sanguini exeunti,
 "qui per vniuersum corpus funditur, sanguini-
 "que naturali ad pulmones delato. — Itaque
 "comperies sanguinem, qui in dextrum ven-
 "triculum ingressus est, non posse in cauam
 "venam recedere." Quodsi perfectis his verbis
 condonare velis REALDO errorem *mixti in pul-
 monibus cum aëre sanguinis*, confitearis
 mecum oportet, eum qui tam exacte sanguini-
 nis per pulmones circulum eiusdemque iter
 per cordis cauitates primus descripsit, non so-
 lum minoris circuli sanguinis inuentorem, sed
 et quoad maiorem summo iure HARVEII pre-
 cursorem dici posse.

- a) Vid. Eius *Observatt. Anatomi*. Cap. XXXIII.
 Qua ratione sanguis in sinistrum cordis sinus
 perueniat?
- b) *De re anatomica*, Lib. VII. p. 328. sqq.

§. II.

REALDO COLVMBO socium primo dabo
 testemque nouiter propositae doctrinae IOAN-
 NEM

NEM VALVERDAM a), eius discipulum, qui multo^{ies} cum Praeceptore REALDO sanguine plena^m vidit venam arteriosam i. e. venam pulmonalem, eandemque in totum sanguini viam per cordis cavitates legendam praescribit, quam COLVMBVS. Deinde vero tanquam eiusdem doctrinae fautor atque testis citandus est MICHAEL SERVETVS, Vir acris ingenii, Medicus quidem et GVINTHERI discipulus, at religiosis magis scriptis clarus, quibus medica miscuit; b) infelici demum fato defunctus. Etiam hic circulationem minorem expressis verbis ita docuit:
 "Vitalis spiritus in sinistro cordis ventriculo suam originem habet, iuuantibus maxime pulmonibus ad ipsius generationem. Est spiritus tenuis, caloris vi elaboratus, flauo colore, ignea potentia, vt sit quasi ex puriori sanguine lucidus vapor, substantiam in se continens aquae, aëris et ignis. Generatur ex facta in pulmonibus mixtione inspirati aëris cum elaborato subtili sanguine, quem dexter ventriculus cordis sinistro communicat. Fit autem communicatio haec non per parietem cordis medium, vt vulgo creditur, sed magno artificio a dextro cordis ventriculo, longo per pulmones ductu agitatur sanguis subtilis: a pulmonibus preparatur, flauus c) efficitur et a vena arteriosa (arteria pulmonali) in arteriam venosam (venam pulmonalem) transfunditur." Sic docuit vir meliore fato dignus, a Veterum erroribus non quidem plane liber, id quod ex iis,
 quae

quae de spirituum praeparatione habet, facile subsumas; at viae, quam sanguis ex ventriculo cordis dextro per pulmones ad finistrum usque legit, utique gnarus atque vindex.

- a) Vid. *Eius Anatomia del corpo umano*, Lib. VI. Cap. XIV. p. 151. b.)
- b) Bina sunt M. SERVETI, qui etiam a patria Villanouanus dictus est, opera Medicorum attentione digna. Et primum quidem hoc maxime facit (id quod ex titulo vix suspiceris) *Christianismi Restitutio*, liber rarissimus (infelicitis enim fati autoris causa fuit) cuius exemplar (vid. BLV-MENBACHII *Introduct. in hist. med. litt.* p. 125.) Dux de la Valiere 3810 libris redemerat: quem nouo prelo curiosorum in gratiam subiecit Cl. a MVRR. Locus autem, quem citamus, exstat Libro V. de Trinitate, p. 170. Alterum opus medici magis argumenti est, itidem rarum, scilicet *Syruporum ratio*, Paris 1537. Hic de coctione materiae morbofæ agit.
- c) Flauum hic pro rubro sumi, euidens est. De auri scilicet præcipue colore rufescente prædicatur flauedo.

§. 12.

Porro etiam ANDREAS CAESALPINVS Medicus haud minus ac Philosophus non solum circulationem sanguinis per pulmones plano ac differto sermone descripsit, denominaciones antiquas venae arteriosae et arteriae venosae rei minus respondere docuit, sed et a maioris circulationis notitia haud longe absuisse videtur.

Et

Et minorem primo circulationem his verbis a)
 "exponit: " Idcirco pulmo per venam arteriis
 "similem ex dextro cordis ventriculo feruidum
 "hauriens sanguinem eumque per anastomosin
 "arteriae venali reddens, quae in finistrum cor-
 "dis ventriculum tendit, transmisso interim aere
 "frigido per asperae arteriae canales, qui iuxta
 "arteriam venalem protenduntur, non tamen
 "osculis communicantes, vt putauit GALENS,
 "solo tactu temperat. Huic sanguinis circu-
 "lationi ex dextro cordis ventriculo in finistrum
 "eiusdem ventriculum optime respondent ea,
 "quae ex dissectione apparent. Nam duo sunt
 "vasa in dextrum ventriculum definitia, duo
 "etiam in finistrum: Duorum autem unum in-
 "tromittit tantum, alterum educit, membranis
 "eo ingenio constitutis. Vas igitur intromittens
 "vena est, magna quidem in dextro, quae caua
 "appellatur: parua autem in finistro ex pulmo-
 "ne introducens, cuius vna est tunica, vt
 "caeterarum venarum. Vas autem educens,
 "arteria est, magna quidem in finistro, quae
 "aorta appellatur, parua autem in dextro, ad
 "pulmones deriuans, cuius similiter duae sunt
 "tunicae, vt in caeteris arteriis. Putauerunt
 "autem medici, usum hunc non videntes, com-
 "mutata fuisse vasa in pulmone, vt arteria qui-
 "dem similis esset venae, vena autem similis
 "arteriae: appellantes venas vasa omnia, quae
 "in dextrum ventriculum definunt: arterias
 "autem, quae in finistrum: figmenta multa et
 "absur-

"absurditates excogitantes, vt vsum inueni-
"rent. Pulsat igitur in pulmone vas dextri ven-
"triculi, hoc enim a corde recipit, vt arteria
"magna et similiter fabricatum est eius corpus.
"Vas autem sinistri ventriculi non pulsat, quia
"introducit tantum et eius corpus simile est re-
"liquis venis." En igitur Autorem, qui pri-
mus, circulationis denominatione, vt verum
sanguinis per pulmones iter describeret, vpus
esse videtur, quique veteres errores e. g. recep-
tam vbique mixtionem aëris cum sanguine in
pulmonibus, incongruasque maiorum vaorum
denominationis primus redarguit; hactenus ta-
men ab erroribus haud plane liber, quod infe-
quentibus verbis "feruere sanguinem in corde"
eundemque ex dextro ventriculo "partim per
medium septum" in sinistrum transire doceat.

- a) Ex *Quæstionibus peripateticis*, Lib. V. Quæst.
IV. p. m. 125. b. de promis.

§. 13.

Sed et a maioris circulationis notitia haud
longe abfuisse ANDREAM CAESAPINVM contен-
dunt viri in historia literaria medica haud me-
diocriter versati. a) Atque faltem ad circuli
sanguinis praecognita pertinent, quae Vir in-
geniosus de venis infra vinculum intumescenti-
bus sequenti loco b) profert: "Sed illud specu-
"latione dignum videtur, propter quid ex vin-
"culo intumescunt venae ultra locum apprehen-
"sum,

"sum, non citra: quod experimento sciunt, qui
 "venam secant: vinculum enim adhibent citra
 "locum sectionis, non ultra: quia tument venae
 "ultra vinculum non citra. Debuiisset autem
 "opposito modo contingere, si motus sanguinis
 "et spiritus a visceribus sit in totum corpus: in-
 "tercepto enim meatu non ultra datur progres-
 "sus: tumor igitur venarum citra vinculum fieri
 "debuisset." Crederes, nunc recta via ad mo-
 tum illum sanguinis per venas retrogradum,
 quem HARVEIUS docuit, progressum auto-
 rem; at non ita. In auxilium scilicet vocat
 ARISTOTELEM, qui c) docuerit, "neceesse esse,
 "ut illud quod rarefactum est, quadantenus
 "attollatur, deinde regrediatur et refluat instar
 "Euripi." Huc illuc nunc se conuertens, aliam
 esse viam docet caloris ad cor per somnum,
 aliam per vigilias; transfire in somno calorem
 natuum ex arteriis in venas per oscularum
 communionem, quam anastomosin vocant et
 inde ad cor; sanguinis exundationem ad supe-
 riora et recessum ad inferiora instar Euripi ma-
 nifestum esse in somno et vigilia — tandem
 concludit, "forte recurrere eo tempore sanguii-
 "nem ad principium, ne intercisis extingua-
 tur." Hactenus igitur longe aberrauit Autor
 noster a recta ad cognoscendam circulationem
 maiorem via. Neque magis hanc metam atti-
 gisse mihi videtur alio loco d), in quo tamen
 Autoris plenam de circulo sanguinis cognitio-
 nem inuenisse sibi visi sunt nonnulli. Hic autem
 ita

ita sonat: "Qua autem ratione fiat alimenti
attractio et nutritio in plantis, consider-
imus. Nam in animalibus videmus alimen-
tum per venas duci ad Cor, tanquam ad
officinam caloris insiti et adepta inibi ultima
perfectione per arterias in vniuersum cor-
pus distribui, agente spiritu, qui ex eodem
alimento in corde gignitur." An operae
preium fuerit, pluribus comprobare, nihil
his verbis inesse, quod de circulatione sanguini-
nis intelligendum sit, dubito.

- a) e. g. Cel. SPRENGEL (in *Verf. einer pr. Gesch. d. AK.* Vol. III. p. 546.) quam tamen sententiam
contemperauit, Vol. IV. p. 6.)
- b) *Quaest. Medicarum*, Lib. II. Quaest. XVII. p.
234. a.
- c) *De somno* Cap. III.
- d) In *Libro de Plantis*, Cap. II. p. 3.

§. 14.

Ad praecognita tandem circuli sanguinis
referendum etiam duco valuularum in venoso
systemate inuentum, quod HIERONYMO FA-
BRICIO debetur, ab Aquapendente denomi-
nato. Ostiola vocavit Autor a), veram ea-
rum utilitatem haud assecutus; id quod facile
ex sequentibus verbis colligas: "Venarum
ostiola a me nuncupantur membrulae ali-
quot tenuissimae in interna cavitate vena-

C "rum

rum, quae potissimum in artus distribuuntur
 per interualla, nunc singulatim nunc gemi-
 natim dispositae, ac sursum quidem versus
 venarum radicem, orificium habentes; in-
 fra autem clausae, et non dissimilem for-
 mam exterius p[re]se ferentes ac nodi in
 plantarum ramulis et caule apparent. Ea
 ratione, vt opinor a natura genitae, vt
 sanguinem quadanterus remoren[t]ur, ne
 confertim ac fluminis instar aut ad pedes
 aut in manus et digitos vniuersus confluat
 colligaturque; duoque incommoda eueni-
 ant; tum vt superiores artuum partes ali-
 menti penuria laborent; tum vero manus
 et pedes tumore perpetuo premantur. Ut
 igitur iustissima mensura et admirabili qua-
 dam proportione sanguis ad singulas partes
 alendas quoquouersum distribuatur, ostiola
 venarum comparata fuere." Et paulo in-
 fra aliam iis utilitatem tribuit, dicens: "Cum
 in varicibus, in quibus aut laxari aut rumpi
 ostiola par est, plus minusve dilatatas sem-
 per venas conspiciamus, dicere procul du-
 bio tuto possumus, ad prohibendam quo-
 que venarum distensionem fuisse ostiola a
 summo opifice fabrefacta: distendi autem
 ac dilatari facile potuissent venae, cum ex
 membranosa substantia eaque simplici ac
 tenui sint conflatae." Sic igitur gloriam, ex
 eruenda vera ostiolorum s[ecundu]m valuularum ve-
 nosarum

nō sartum vtilitate capiendam discipulo HARVEIO reliquit Vir alioquin meritissimus.

- a) Vid. *de Venarum Ostiolis libellus nitidis iconibus ornatus. Inter Opera Omnia.*

§. 15.

Redeo itaque vnde digressus sum, ad GVIL. scilicet HARVEIVM, qui quidem iis, quae memorauit praecognitis, aliisque sorte a me praeteruisis usus esse videtur, ut inuentum suum perficeret; cui tamen per omnia saecula manebit laus, non solum inuenti circuli sanguinis maioris, sed et receptae nunc apud omnes circulationis minoris, quam licet, ut vidimus, fere centum iam ante HARVEIVM annis, professi sint ii, quos in scenam produximus Autores, aegre tamen inter dogmata sua receperunt eius aeiui Medici. Confirmato scilicet circulo maiori, firmo etiam talo nunc stabat minor, tenore harmoniae, quae vtrumque intercedit. Qua occasione adnotatione dignum puto, non solum ex infusione atque transfusione paulo post, infelici quidem omne celebratis circulo sanguinis nouum accessisse argumentum, sed et his demum fere nostris diebus in confirmando et illustrando sanguinis in circulum motu nouas ill. HALLERVVM laudes sibi meruisse,

isse, nisi quae HARVEIO debentur, vix secundas. a) Caeterum excusationi expetendae vix locum hic esse existimo, quod neque de Sinensium fabulosa sanguinis circulatione, neque de ea, quam Persae Medici sibi vindicare leguntur b), verba hic fecerim; haec enim ad anecdota literaria curiosa magis pertinent, quam ad seriam materie tractationem.

a) Vid. Viri Ill. *de motu sanguinis Dissertationes* in Opp. Min. Tom. I.


b) Vid. HALLERI *ELEM. PHYS.* Tom. I. p. 246.




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn166994354/phys_0041](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166994354/phys_0041)

DFG





the scale towards document

3

itantes, vt vsum inueni-
in pulmone vas dextri ven-
a corde recipit, vt arteria
fabricatum est eius corpus.
ventriculi non pulsat, quia
et eius corpus simile est re-
ligitur Autorem, qui pri-
denominatione, vt verum
ones iter describeret, vsum
e veteres errores e. g. recep-
nem aeris cum sanguine in
gruasque maiorum vorum
nus redarguit; hactenus ta-
ud plane liber, quod infe-
ruere sanguinem in corde
etro ventriculo "partim per
n sinistrum transire doceat.

*s peripateticis, Lib. V. Quaest.
. depromtis.*

§. 13.

is circulationis notitia haud
CREAM CAESAPINVM conten-
literaria medica haud me-
Atque faltem ad circuli
ita pertinent, quae Vir
infra vinculum intumescenti-
profert: "Sed illud specu-
letur, propter quid ex vin-
venae vltra locum apprehen-
sum,

572

Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.